








DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

MELANCHOLIA.



PERNOBILI VIRO

DOMINO. GEO. H. CAVENDISH,

QUI

MAJORES PRAECLARISSIMOS

PATRICIORUM DECUS

POPULORUM PRAESIDIUM

BONORUM PRINCIPVM SUBDITOS FIDELISSIMOS

SUMMIS VIRTUTIBUS CONDECORAT

INNATO POTISSIMUM

QUO PATRIAM COMPLECTITUR AMORE

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

MAXIMAE OBSERVANTIAE MINIMUM TESTIMONIUM

ADAMUS BLACK

DAT, DICAT, DEDICAT.

Interea dulces somnos, noctisque soporem,
Omnia per terras, animalia fessa trahebant;
Illis nulla quies aderat, sopor omnis in auras
Fugerat; iis oriens AURORA ingrata rubebat,
Iis inimica dies, inimicaque noctis imago;
Nulla CERES illos, BACCHI non ulla juvabant
Munera, non dulces epulae, non copia rerum.

FRACASTORIUS.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

MELANCHOLIA.

AUCTORE ADAMO BLACK.

OMNIUM, in tantâ rerum fragilitate, infelicium, nullus aequè miserandus est, ac qui perpetuâ, et atrâ premitur Melancholiâ. Quippe reverâ in hoc constat natura miseriae quod animum Melancholiâ afficit, et innoxius esset sortis iniquissimae aculeus, nisi hoc veneno conspersus. Aliis morbis ae-

ger fortitudine sustentatur, spe levatur, in hôc, ipse morbus est spei, et fortitudinis extinctio. Aliis morbis, blandis amicorum sermonibus permulcetur, in hôc, aeger consortium omnium fugit; et quos summè dilexisset, illos inimicos putat, suspectos habet, aversatur. Alii morbi si graves, breves; si longi, leves sunt. Hic, cum longus, tum gravis est; et saepe per alternas vices cum furore regnat; nec in morte omninò optanda, sed dementiâ, sese absolvit. Mors ipsa felix est; et impium in aliis morbis votum, plenum hîc est misericordiae. Denique mitigantur alii morbi spe felicitatis aeternae; sed in hoc aeger nullos locos laetos, nullas sedes beatas, nulla amoena vireta sperat. Immo, contra, sese flagitiis contaminatum putat, crudeles poenas, ultrices flammas, sempiternas tenebras praevidet.

Hoc quoque acerbum est, victimas Melancholiae saepe esse viros egregios; summo ingenio, summa humanitate praeditos. Hi in hunc morbum incidunt, non ullo flagitio

contaminati, sed ex immodicis studiis, ex gravibus indagandi vel fingendi exantlatis laboribus. Quae cum ita sint, nihil medicis antiquius debet esse, quam quo pacto hujus labis naturam explorent, et Melancholicis sanitatem reddant.

DEFINITIO.

Morbus in quo aeger, inani terrore correptus, uni et eidem cogitationi fere affixus, saepe, quanquam sine febre, delirat. Moestus est plerumque, meditabundus, inquietus, irritabilis, et, praesertim amicorum pristinorum, suspicax. Porro, siquando Phantasma dormit cui, delirans, pertinaciter inhaeret, in aliis rebus ratione fruitur.

HISTORIA.

Omnes ideas, vel intellectûs, et multo magis voluptatis, et doloris, e sensibus derivatas esse, vulgo consentitur. Horum cùm acumen varium variis hominibus sit, nascitur inde sentiendi diversa intensitas, nascuntur memoria, imaginatio, appetitus, passiones dispares. Multa videtur esse analogia inter sensibilitatem moralem, et physicam; sed naturae, vel causae hujus sensibilitatis, ratio nulla hactenus reddita est. Mihi satis erit notare, omnes fere melancholicos, summum a natura sentiendi acumen, summam sensibilitatem accepisse. Ita sunt constituti, ut omnibus ac singulis causarum externarum incursibus commoveantur, Amant, aversantur, timent, cupiunt effusè et immodicè; facilè extra se feruntur, et quasi excessu quodam laborant, nunc angoris, aliquando laetitiae.

Horrent negotia, rivalitates, et minimâ spei frustratione franguntur.

Haec Melancholicus, vel adolescens, patitur, sed, aetate virili, graviores poenas luit. Adest saepe quae describi non potest anxietas, adest dolor ex nullâ surgens causâ. Oberrat intro vagus terror atque subitos oculi fundunt fletus. Tum aliquando vita odio habetur, crescit otii perditus amor, crescit negotiorum fastidium et aversatio. Densas sylvas, sola flumina, tristis amat; nec, reversus domum, sodales adit, sed in lectum se recipit. Talis est qui a parentibus diathesin Melancholicam accepit; sed saepe non praedispositio naturalis, sed fracta valetudo, vel dira calamitas, initium huic crudelissimo morbo dedêre.

Imprimis, dolores capitis acerbissimi, denique plerumque febris Melancholiam praecedunt, et praenuntiant. Aeger est mutabilis, irrequietus, et prae vano metu, prae moerore sine justâ causâ, turbatur, et vacillat.

Amicorum fidem suspectam habet, se prodi, se omnibus esse ludibrio et despectui, putat. Demùm aliquid dictum, aut factum, illum sic suspiciosum, et irritabilem, in furorem agit. Maniam excipit Melancholia, nunc delirans, mox tristissima, et teterrima. Omnia dira, crudelia, sibique funesta, Melancholicus semper et molestissimâ repetitione loquitur; nec solantibus medicis credit, nec obsequitur amicis. Saepe se flagitium patrâsse, vel ficto crimine insectari putat; et nunc insidiis, nunc veneno, tollendum. Porro aliquando se regem potentissimum, vel maximum imperatorem superbè fingit. Infinita sunt Melancholici deliramenta, nec plura in hoc loco recensere necesse est.

Verum enimvero, cùm animi et corporis nexus ita intimus sit, non potest non fieri, quin morbi gravissimi eos invadant, quos angunt hi mentis affectus vehementissimi, et protracti. Corpus universum elanguescit, vitiantur secretiones, adsunt vertigines, aurium tinnitus, oculorum scintillatio. Saepe

etiam silenti nocte audiuntur strepitus, voces hominum; saepe quasi aquae bullientis sonitus, vel undarum longinquarum murmur. Porro phantasiae sive imagines rerum absentium, ita quandoque representantur animo, ut eas cernere oculis, ac praesentes habere videtur. Debilitatur memoria, et pene deletur. Hoc autem mirum est, quod si de rebus non ad se pertinentibus loquitur Melancholicus, satis rectâ ratione utitur.—Sed potissimum scribens, judiciô fruitur; tunc enim animus maximè occupatur, et a contemplatione miseriarum suarum removetur.

Ciborum appetitus in Melancholicis vix deficit, aliquando etiam vorax est. Sed post cibum, subsequuntur rugitus intestinorum; capitis sudor, et calor; et maxima, vel minimo sumpto cibo, plenitudo. Fugit somnus, vel dormienti aegro, terribiles visu formae apparent. Vitiatur bilis et nigritiâ tingitur. Denique adest macies, adest faciei lividissimus pallor; vel quasi foliorum in frigore autumni morientium, flavedo. Haec omnia symp-

tomata a Torquato Tasso, insigni poetâ Italo, literis ad medicos scriptis memorantur; qui qnidem vir, summo celeberrimus ingenio, primum sed paulisper furore, demum longâ, et horridâ Melancholiâ corripiebatur. Haud rarò equidem hic morbus viros literis claros solicitat, angitque; hos enim omnes esse Melancholicos, Aristotles, Galenus, Sydenhamus, et multi alii affirmaverunt *.

CAUSAE REMOTAE.

Omnes fere Melancholicos multam a natura sensibilitatem accepisse, pridem affirmavimus. Qui vèro a parentibus Melancholicis gignuntur, huic morbo procliviores

---

* Δια τι παντες όσοι περιττοι γεγονασιν ανδρες, ή κατα φιλοσοφιαν η πολιτικην η ποιησιν, η τεχνας, φαινονται μελαγχολικοὶ οντες.

Aristot. *Prob. Sec.* xxx.

Non sine ratione observaverit Aristoteles, Melancholicos caeteris praestare ingenio. *Sydenham Oper. Univers.* P. 394, vide quoque *Galen.* lib. i. c. 39. *De natura humana.*

sunt. Hi enim, cùm hanc nimiam sensibilitatem, tum etiam fortè quandam internam labem, vel aliquam corporis temperationem Melancholiae faventem, in utero acceperunt. Porro animi affectus contagiosi sunt; et qui juvenis, multum domi solicitudinis, multum angoris conspexit, facillimè ingenii parum laeti evadet; et, progrediente vitâ, atra bile laborabit.

Pectora longis hebetata malis,
Non sollicitas ponunt curas;
Proprium hoc miseros sequitur vitium
Nunquam rebus credere laetis;
Redeat felix Fortuna licet,
Tamen afflictos gaudere piget;
Nulla surgens dolor ex causa,
Hos flere jubet; sed vagus intro
Terror oberrat, subitos fundunt
Oculi fletus, nec causa subest;
Imber vultu nolente cadit. *

---

* Seneca *Thyestes*.

Enumerandae nunc sunt causae remotae, quae in omni, sed praesertim diathesi Melancholicâ, hunc morbum generent.

Imprimis universè affirmari potest, omne nimium naturae inimicum esse, et parentem Melancholiae. Constitutionis enim humanae lex est, quo violentior atque fortior *exegersis* fuit, (hoc liceat dare nomen unicuique animi, vel corporis excitationi immoderatae) eò majore excipitur relaxatione, debilitate, atoniâ. Haec autem relaxatio non eadem cum exegersi ratione utitur, sed minor erit exegerseos quam atoniae sequentis intensitas. Inde, repetitâ saepe exegersi, procreabitur demum universa et fere insanabilis laxitas, languor, debilitas.

Quae cùm ita sit, constat Melancholiam omni excessu gigni, sive ad corpus, sive ad animum pertinente. Hinc inter certiores hujus morbi causas, recensere possimus venena narcotica, immodicam venerem, liquores ardentes. Haec enim omnia primum ex-

citationem magnam, demum maximam infirmitatem, et cachexiam generant. Causa equidem Melancholiae frequentissima est debilitati addita irritatio; nec procul a virium privatione hic morbus incedit. Hinc nimiis evacuationibus seri, vel sanguinis favetur. Saepe febres decedentes, praecipue quartani generis, excipit. Denique vitâ sedentaria, aedibus humidis, alimentis concoctu difficilibus, haemorrhoidum et evacuationum debitarum suppressione, ac universè omnibus cachexiam inducentibus, promovetur.

Nec minus oriri potest Melancholia, ex immodicis studiis, praesertim de unica re occupatis. Tum enim paulatim voluntatis gignitur debilitas, nec abstrahi mens potest ab idea dominante. Haec autem voluntatis infirmitas, vel amissio; haec unius conceptûs contemplatio perpetua, et invita, Maniam, ac Melancholiam annunciant, et stipant. "Curiosus inquisivi (ait Van HELMONT) plures "amentes, et non paucos sanavi, tam qui "a magnis perturbationibus, passionibus,

" aliisque morbis, quam qui absumptis, de-
" mentes facti erant; narrâruntque mihi
" omnes se incidisse sensim in maniam, cum
" praevio sensu ex hypochondrio illis ascen-
" dere solitam, veluti obscuram phantasiam,
" et nubilam tentationem amentiae, qua
" primum, vel inviti, premebantur; donec
" idea, tandem, plenum sibi dominium acqui-
" sivisset. In se autem reversi, erant acto-
" rum omnium memores. Fidenter enim
" conquesti sunt de omnibus. Quod nimi-
" rum spoliarentur primum omni discursûs
" consecutione, seque mansisse in punctuali
" immersione unius conceptus, extra quam
" nihil aliud cogitarent, cum moerore, mo-
" lestiâ, et importunitate. Cogitarent non
" secus ac si in speculo illum semper con-
" ceptum fuissent intuiti. Imo nec scie-
" bant se tum illud cogitare, vel suo concep-
" tu sic aspicere: quanquam sic immobili-
" ter cogitarent, ut tandem sub ingressum
" et dominium maniae, si contingeret illos
" stare, stetissent per dies aliquot, absque

"lassitudine, nec scirent se stare *." Idem fere fit in immodico studio; omnibus autem animi facultatibus in idem objectum, intensis, succedere summam atoniam, summam imbecillitatem necesse est. Nec minus nocet meditatio nimia, propter excercitationis neglectum, atque stomachi cruditatem, a quibus fere semper comitatur. Nullum enim est inter humani corporis viscera, quod potentius stomacho exerceat in mentem imperium. Hoc quotidie experiendo discimus, et festivè a poeta Gallico, carmine cui titulus *Jean qui pleure et qui rit* depingitur †.

---

* Van Helmont *Demens Idea. operum* p. 174.

† Quelquefois le matin, *quand j'ai mal digéré*,
Mon esprit abattu, tristement éclairé,
Contemple avec effroi la funeste peinture
Des maux dont gémit la nature:
Aux erreurs, aux tourments le genre humain livré,
Les crimes, les fléaux de cette race impure
Dont le diable s' est emparé.

Je

Verum enimverò cùm Maniae, tum Melancholiae, causae feracissimae sunt omnia animi Pathemata vehementia. Talia sunt amor, superstitio, moeror, suspicio, metus, honoris vel gloriae cupiditas. Hi enim impetus animi non solum immodici studii incommoda habent, sed per idem tempus mentem commovent, et cruciant. Amator (ex-

---

Je dis au mont Etna, Pourquoi tant de ravages,
Et ces sources de feu qui sortent de tes flancs ?
Je redemande aux mers tous ces tristes rivages
Disparus autrefois sous leur flots écumants ;
Et je dis aux tyrans :
Vous avez troublé le monde
Plus que les fureurs de l'onde,
Et les flammes de Volcans.
Enfin, lorsque j' envisage
Dans ce malheureux sejour
Quel est l' horrible partage
De tout ce qui voit le jour,
Et que la loi suprême est qu'on souffre et qu'on meure,
Je Pleure.
Mais lorsque sur le soir, &c.

VOLTAIRE.

empli gratia) non solum amicam suam "absens absentem, auditque videtque" sed interea spe, furore, Zelotypia, languore, afficitur. Igitur affectibus animi vehementibus non solum succedit, quae semper improbum studium excipit, debilitas, sed maxima quoque gignitur irritatio. Omnium autem animi affectuum, nullus aeque ac amor homines in insaniam inducere fertur. Quae res hâc ratione accidat, quôd omnium mentis perturbationum frequentissima sit amor. Alia pathemata vehementia, verbi causa, gloriae vel honoris cupiditatem multi nunquam experti sunt; amorem omnes vel sentiunt, vel senserunt. Porro amor non animi affectio simplex est, sed quasi omnium affectionum, omnium mentis perturbationum, confusa seditiosaque luctatio. Hinc in varias partes animus trahitur, ac convellitur; et (quod maxime Maniam et Melancholiam gignit) contrariorum pathematum citissima fit series. Spei succedit desperatio, desperationem excipit laetitia, decedentis laetitiae, furor locum occupat.

Fluctuat igitur semper incertis erroribus mens agitata, et tantum non convulsa.

In amore haec omnia insunt vitia ; injuriae,
Suspiciones, inimicitiae, induciae,
Bellum, pax rursum, incerta haec si tu postules
Ratione certâ facere, nihilo plus agas
Quam si des operam, ut cum ratione insanias *.

Amorem profecto saepe in vesaniam inducere, dubitandum non est; sed dubitari bene potest annon saepius incipientis vesaniae comes sit, quam parens. Etenim, appropinquante Maniâ, magna est vis imaginandi, maxima corporis sensibilitas, quae res ad amorem proclives homines faciunt. Igitur infelix ad insaniam vergens, immani mulieris alicujus potiundae cupidine aliquando rapitur ; et amor, qui solum incipientis insaniae comes est, in causa morbi esse putatur. Idem fere dicendum de superstitione, vel religionis falsae terroribus. Melancholicus modo non sem-

* Terentius, *Eun.* A. 1. Sc. 1.

per superstitione imbutus est, sed saepissime forsitan hic inanis terror Melancholiam non procreat, sed comitatur, Notandum enim est Maniam et Melancholiam non animum invadere primâ juventute, cum amor saevior sit, vel extremâ senectute, cum superstitione laboretur. Raro ante trigesimum et plerumque ante quadragesimum annum oppugnant. Tum enim curae frequentiores sunt ; cruciat honoris vel divitiarum aviditas, cruciant rivalitates, et spei frustratio. Adest indignatio, desiderium, iracundia, dolor, denique, ut res summatim colligam, vitae intensitas. Hoc obiter notatione dignum est, nullam esse Melancholiae feraciorem causam, copiarum jacturâ, et paupertatis terrore. Hinc publicarum rerum mutationibus, ut nuper in Gallia, frequentissima est.

CAUSA PROXIMA.

Nunc dicendum de Melancholiae causâ proxima, de ea corporis conditione peculiari "quae morbum ita efficiat, ut illâ posita hic "ponatur, durante duret, mutata mutetur, "oblata tollatur *." Hoc autem est difficillimum dictu, nec de ullo morbo longa dies pauciora in apertum protulit.

Antiqui, ut ipsum Μελαγχολια nomen indicat, atram bilem in causam hujus morbi posuerunt. Hanc Medicinae Princeps Hippocrates † hanc eruditus Galenus ‡ hanc ipsi poetae statuerunt ||. Denique hanc opi-

---

* Gaubii *Institut. Pathol. Med.* § 61. p. 18.

† *De Morbis*, Lib. III. passim Aph. 14. Lib. III. &c.

‡ *Comment. in lib. de Morbis*, item Lib. III. cap. 6. *de loc. affect.*

|| Ardent oculi, fune opu'st Hegio
Viden 'tu illi maculari totum corpus luridis ?
Atra bilis agitat hominem. Plautus *Capteivei.*

nionem diu defunctam et ab aliis commentis sepultam, e tumulo misericors BOERHAVIUS eruit *.

Alii recentiores, ad aliquam cerebri functionem morbidam, hunc morbum tribuendum duxerunt, " Melancholia (HOFFMANNI verbis utor) est firmior cum mente alienatâ phantasia, certis objectis valde inhaerens, cum diuturno animi angore, inquietudine, metu, et tristitiâ, sine ulla causâ manifesta juncta " *a valdè difficili sanguinis copiosius in cerebro congesti, ac stagnantis, per vasa ejus progressu, oborta* †." CULLENUS Melancholiam, ex magna parte, attribuit alicujus partis cerebri siccitati praeternaturali, et texturae nimis durae; unde actio hujus organi haud aequaliter excitatur.

Quod autem dudum dixi de amore, idem

---

* *Institutiones*, § 789.

† *Operum*, Tom. III. p. 252. Geneva, 1761.

dicendum de signis morbidis, quae in Melancholicorum cadaveribus deteguntur. Melancholiam fortasse potius comitant quam gignunt; nec inter causas morbi, sed ultimos effectus recenseri debent. Nullum enim signum tam singulare detectum est, ut solum melancholico proprium affirmari possit. Nec est ullum tam constans patefactum signum, ut illô posito, morbus ponatur, durante duret, mutato mutetur, ablato tollatur. Melancholiam saepe sine cerebri ruptione existere, docet ratio optima medendi, remediis scilicet non physicis, sed ad mores pertinentibus.

DIAGNOSIS.

Melancholiam a Maniâ distinguere interdum difficile est, quippe saepe per alternas vices vexant, et altera alteram excipit. Re-

verâ ejusdem morbi crebrò modi sunt, et cùm Mania sit Melancholiae ad majorem feritatem intensio, Melancholia est debilitata, et modo non extincta Mania. Hanc autem ab illâ discernunt, et quidem rectè, Physiologi. Insania cum moestitiâ Melancholia appellatur, cum furore Mania. Huic Ira, illi Timor, utrique delirium adest. At tamen de unâ plerumque re delirat Melancholicus, de omnibus Maniacus. Amat ille, exoptat, concupiscit. Hic semper, nisi exhaustus, saevit, ululat, gemit.

Melancholiae quoque Hypochondriasis cognatus est, ut hi affectus saepe vices commutent, et alteruter in alterum transeat. "Hypochondriasis et Melancholia (ait CULLENUS *) non semper distingui possunt. Si "quando autem possint nullo alio signo quam "per dyspepsiam in Hypochondriasi semper "praesentem, in Melancholia saepe absen-

* *Genera Morborum*, p. 257.

"tem rite, quantum video, distinguendi "sunt." Alia distinctio Medicis familiaris est. In Hypochondriasi aeger de sanitate vel de formâ corporis solâ, in Melancholia de rebus aliis delirat. Hic se prodi, se pauperimum vel persecutione oppressum putat; somniat ille contagiones, labes; nec defuerunt qui se ex vitro conflatos, vel mortuos credidêre.

PROGNOSIS.

Melancholia circumstantiis sequentibus vestita, malum omen habet. Si ex labe haereditariâ, vel injuriis cranio illatis oriatur. Si a summis et diuturnis capitis doloribus antegressa fuerit. Si aetate provectus Melancholicus sit, vel pro longo tempore morbo laboraverit. Nec sperare licet si ex affectionibus paralyticis Melancholia orta sit, vel cùm affectiones epilepticae vel comatosae superveniant.

Infaustum quoque omen est si cum Maniâ vices aliquando commutet, vel diutinae Maniae haereditatem adierit. Pulsus naturalis, saeviente Melancholiâ, inopportunus est. Hoc quoque durum ; si instantibus menstruis, foeminis Melancholicis crudelior morbus sit.

Sequentia prognosin prosperiorem praebent; Quum Melancholicus juvenis sit; quum non constet ei Hallucinatio sed saepe variet; quum parum animi mutetur indoles, et mens interdum e curis tristibus, ad hilaritatem abstrahi possit. Bonum est signum si Melancholicus placido somno fruatur, et ab aegritudine recreatus pinguescat. Sanabilis est Melancholiae species quae ab evacuationibus suppressis, originem ducit. Haec enim facile a diarrhoeâ, vel haemorhagiâ vel eruptionibus solvi potest.

RATIO MEDENDI

Qui Melancholiae medelam in se recipit causas morbi excitantes investigare et tollere debet. Evacuationes suppressae, si ex hâc orta sit, sollicitandae, et favendae. Interdum a saburra, sive muco viscido in stomacho vel intestinis diversantibus, oritur mentis alienatio. Re ita se habente, purgamenta vel emetica utenda.

Sed cum nulla sit feracior causa Melancholiae atque debilitas, adhibenda sunt cautissimè evacuantia. Multi enim dum venam secant, dum alvum evacuant, dum sudores eliciunt, insanabilem morbum prorsus fecêre. Saepissime prosunt diaeta nutriens, medicamenta tonica, exercitium viribus accomodatum.

Quod autem genus exercitationis Melancholia maximè desiderat difficile est dictu, et gerere se pro morbi naturâ, et specie necessarium est. Multùm a Coxio in mentis alienatione, corporis libratio, et oscillatio commendatur. Juvat Melancholicum deambulatio praesertim matutina "quo tempore "flores rore spirituoso madent, et atmos-"phaera puriori vegetantium halitu scatet *." Juvat equitatio, quae cum exercitatione latè circumspiciendi libertatem conjungit; juvant navigationes, praesertim inter sparsas et sylvosas insulas. Nec nihil utilitatis e peregrinationibus, et coeli mutatione Melancholicus percipit. Sed non ullum exercitationis genus magis ac terrae cultura, vel ad roborandum corpus, vel ad animum deliniendum, valet. Suadendus igitur aeger hortum colere, feraces figere humo plantas, et amicis rosas irrigare imbribus.

---

* Lorry *De Melancholia*, vol. ii. p. 92.

Saepius quoque (ut admonet Celsus) Melancholicis "assentiendum quam repugnan-"dum est: paulatimque et non evidenter, "ab his, quae stultè dicuntur, ad meliora "mens abducenda. Praeter haec, servanda "alvus est quam tenerrima: removendi terro-"res, et potius bona spes afferenda: quaerenda "delectatio ex fabulis, ludisque, quibus maxi-"mè capi sanus assueverat: laudanda, si qua "sunt, ipsius opera, et ante oculos ejus po-"nenda: leviter objurganda vana tristitia; "subinde admonendus in his ipsis rebus, "quae solicitant, cur non potius laetitiae, "quam solicitudinis causa sit *."

Operae pretium erit saepe vocum et nervorum cantibus uti. Maximè quidem valet Musice ad motus aegroti animi sedandos, et compescendos, quoniam mentem a tristibus cogitationibus non solum abstrahit, sed vo-

---

* *De Medicina.* Lib. iii. cap. 18.

luptate perfundit. Discutiendae dulcibus alloquiis, praesertim feminarum, contemplationes acerbae. Denique cùm in Melancholiâ aeger infirmus, moestus, timidus uni cogitationi fere semper affixus deliret, levamen ab omni sperandum est, a quo firmatur corpus, avocatur animus.

FINIS.

